

Nr 27.28. fehlt!

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

SISTENS

DEMONSTRATIONEM  
QVOD ATROCISSIMA  
LVIS VENEREAE  
SYMPTOMATA  
NON SINT EFFECTVS MORBI,  
SED CVRAE MERCVRIALIBVS  
INSTITVTAE,

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ  
IN ALMA ET PERANTIOVA HIERANA

PRÆSIDE

DN. D. HIERON. LVDOLFO,

FACVLT. MED. ET PHIL. ASSESS. ORDIN. ET PROFESS. CHTM. PVBL.  
NEC NON CIVIT. ERFORD. PHTSICO,

PATRONO, PRAECEPTORE ET PROMOTORE SVO  
SVMMÆ DEVENERANDO,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
ET IMMVNITATIBVS

RITE CAPESSENDIS

SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

LAVRENTIVS ANDREAS RITTER,

SMIRA - ERFORDIENSIS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS HOR. CONSV.  
DIE XVIII. FEBR. M DCC XLVII.

ERFORDIAE, typis Jo. Christoph. Heringii, Acad. Typogr.





## PROOEMIUM.



Calamitatem nullam esse solam & quavis occasione mala malis augeri, etiam ii, quos sanitas amissa auxiliun a medicis petere cogit experiuntur. Præsentissimum hujus aſſerti exemplum præbet malum, quod ob veneris exercitium immodicum atque indiscretum hominibus accidit & lues venerea vocatur. Gravissimum enim ac contagiosum huncce morbum specifico quodam remedio mercurio nempe, optime tollere putarunt & quoniam primorum hujus remedii inventorum præparationis expertes, mercurium diversis & multis, illegitimis tamen, modis paratum

exhibuerunt, miserrimum hocce morbo correptis comparaverunt statum, eosque in malorum præcipitarunt lernam. In causam si inquirimus, quod talis remedii insignem noxam non animadverterint, econtra laudibus illud non levibus extulerint, maxima erit causa, quod hic morbus frequentius in militia occurrat, ubi centum immo & millia capitum etiam, quod dolendum, quoad morbos præcipue per interna sanandos relinquuntur curæ Chirurgorum medicastroorum, quorum Academia est nosocomium; Doctor, mors militum; Sigillum diplomatis, cœmeterium; hos, si mors a gravi eorum ignorantia inducta ægros tollit, insanabilitas & gravitas mali excusat, & si forte ob robur naturæ vita evaserint ægroti, tanta in se ipsos inflat fiducia, ut alios militiæ non deditos ignorantia sua perdere non erubescant. Quod autem medici satis profunda licet scientia præditi noxam hisce remediis inductam non animadverterint, diversæ reperiuntur rationes, inter quas maxima, quod alia remedia hunc morbum tollentia non habuerint, & licet frequentius atrocissima  
exin-



exinde orta fuerint symptomata pro poena huic peccato competente habuerint, hincque parum solliciti de aptiori cura fuerunt, taliaque remedia in hunc usque diem in usu manserunt non solum ad luem veneream curandam, sed etiam alios morbos rebelles & chronicos sanandos. Cum autem hodiernis subsidiis muniti tali ignorantia nil pejus, nihilque iniquissimum invenire possimus, nec medico adeo strenue exercere liceat & competat jurisdictionem, sed omnibus viribus de auxilio singulis & quibuscunque immo & iniquissimis præbendo cogitare in officio habeat, maximi censeo esse momenti, loco speciminis inauguralis, quod mihi ad honores in arte hac salutari obtinendos exhibendum incumbit, perhorrescentiam talis hunc usque in diem laudati medicamenti injungere & talem, qualem titulus dissertationis hujus exhibet, demonstrationem sistere, quod & eam ob rationem tanto magis necessarium erit, quia mercurialia, & præcipue mercurius, qui quidem dulcis vocatur, sed ex effectibus acerbissimus nominandus esset, etiam in aliis morbis non adeo abominan-



dis, utpote malo hypochondriaco, febribus intermittentibus, scorbuto aliisque, maximo cum detrimento agrotantium in usum vocatur, immo & præservative in vomitoriis & purgantibus adhibetur, unde plurimis etiam innocentissimis orta videamus gravissima luis venereæ mala, immo cancrum aliaque. Hacce demonstratione peracta commodiorem, securiorem & morbo magis adæquatam curam tradere minime negligemus. Utrumque autem tam a priori quam posteriori optime fieri potest, si 1) ex natura hujus morbi & medicamentorum mercurialium monstremus mercurialia vehementissima talia symptomata efficere posse 2) quod revera effecerint & 3) quod aliis aptioribus medicamentis feliciter & commodius curatus fuerit hic morbus. Absolvemus autem hæc omnia sequenti ordine. Data nempe §. I. definitione luis venereæ, afferentur §. II. symptomata hujus morbi & §. III. ejus causæ & tunc §. IV. Cura hujus morbi ordinaria & quia hæc optime per mercurialia peragenda reputatur, necesse erit ut §. V. in mercurialium inquiramus



mus naturam & §. VI. in modum operandi mercurialium, ex quibus §. VII. demonstrabitur quod cum causis (§. 3.) allatis concurrant mercurialia & §. VIII. quod eadem symptomata efficere valeant, in §. IX. quod revera effecerint per experientiam probatur, & tunc §. X. exempla afferuntur ubi optimo cum successu securioribus medicamentis curata dein in §. XI. Cura melior traditur & ultimo §. XII. quænam medicamenta ex mercurio parata admittenda, quæ ut omnia feliciter peragantur, D. T. O. T. M. auxilio suo assistat

## §. I.

**D**efinitionem luis venereæ quod attinet, diversi autores diversam quoque in medium proferunt, prout nempe vel morbum ipsum, vel symptomata magis urgentia respiciunt, sic e. g. variolam magnam sive scabiem veneream die Spanische Bocken proprie luem veneream vocant, reliqua autem symptomata utpote gonorrhœam malignam, fluorem malignum, testiculos venereos, bubones &c. sub lue venerea non comprehendunt. Cum autem nostra intentio sit, medicamentum tanta licet auctoritate præditum, conscientiosius non solum sed & gratioſis medicis respectum

spectum reddere, præcipue ejus usum in istis adhuc levioribus hujus morbi gradibus reprehendere, ne graviores ipsi efficiant calamitates, talem placet exhibere definitionem, quæ omnes species & symptomata hujus morbi in se comprehendit. Lues venerea itaque est morbus conformationis & intemperiei læsæ. Conformatio vitiosa consistit in obstructione viscerum sanguinem depurantium. Intemperies læsa est serum viscidum cui acidum acre immersum, utrumque obstructio nempe hæc atque intemperies depurationem massæ sanguinæ ita lædit, ut se. & excretionem particularem noxiarum non solum impediat, sed potius incrementum atque ulteriorem eorum depravationem promoveat variaque incommoda, symptomata, utpote ulcera, tumores dolores & alia mala rebellia excitet.

S. II.

Symptomata hujus morbi sunt vel mitiora vel graviora. Ostendunt sese partim in fluidis, partim in solidis, ut plurimum in fluidis & solidis simul. In solidis sunt modo in mollioribus modo in durioribus partibus, modo sunt effectus morbi, ad quæ referenda sunt ista, quæ in fluidis atque mollioribus partibus occurrunt, modo sunt effectus curæ, qualia sunt quæ potissimum obveniunt in duris partibus, rarissime enim hæc ex morbo sequuntur. Sunt autem omnia hæc symptomata sequentia 1) color cutis & faciei deturpatus, 2) Gonorrhœa virulenta, quæ a) vel levis & recens b) gravior, in foeminis Ill. Teichmeyerus nidum vesparum, diaboli & omnis mali istam vocat. c) chronica, d) in masculis spasmodica cum chorda nempe,

pe, seu priapismo 3) caruncula penis atque urethræ ali-  
que membrum virile aggreſſentia mala, e. g. a) puſ-  
ulæ præputii, glandis & mentulæ, b) phimosis & para-  
phimosis venerea, c) vesicula cryſtallina, 4) inflamma-  
tio proſtatarum, 5) Tumor teſtium ſive teſticulus ve-  
nereus, 6) bubo venereus, 7) blattulæ venereæ, 8) ul-  
cera cutis, oris, labiorum, uvulæ, palati, buccarum,  
tonſillarum, faucium, atque mammarum, quæ omnia  
modo mitiora modo graviora deprehenduntur & gan-  
grænoſa non raro evadunt, 9) Variola magna, 10) O-  
zæna ſive narium ulcus in partibus mollibus & caries  
partium duriorum. 11) Gummata Gallica, 12) verru-  
cæ venereæ, 13) Tortura nocturna, 14) Caries & 15)  
Tabes venerea. Ex hiſce ſymptomatibus modo unum  
alterum excipit, modo plura conjunctim exhibentur.  
Ut plurimum primarium ſymptoma præſentiam luis  
venereæ indicans, eſt gonorrhœa virulenta, quæ vel  
neglecta vel non rite tractata abit in teſticulos venereos,  
bubones, carunculas, inflammationes proſtatarum,  
dein ulcera graviora exhibet, & ſi univerſalis fit mor-  
bus, variolam magnam.

§. III.

Cauſa hujus mali immediata eſt ipſa Maſſa ſangui-  
nea in eum gradum deturpata, ut qualitate & motu  
peccet. Cauſa mediata proximior eſt viſcidum, cui  
acrimonia acida roſiva inhæret. Ad cauſas mediatas  
remotiores, nullæ aliæ referri poſſunt niſi 1) congreſ-  
ſus nimius a) in regionibus calidioribus, b) etiam in  
frigidioribus ſi ſubjecta ſunt hypochondriaca & ſcor-  
butica, 2) contagium a) per coitum cum perſona in-  
fecta,

B

fecta,

fecta, b) per communicationem purulentæ venerorum materię, quod fit vel per salivam osculis communicatam, vel sudorem in eodem lecto decumbentibus, vel lactationem, vel utendo locis eorundem infectorum secretis. Quod attinet causam immediatam istam nemo negabit. Sed de causa mediata proximiori magis dubitatur, an acrimonia sit acida vel alcalica. Quod adfit viscidum nemo negat, sed quod acrimonia acida sit immersa ex eo potissimum posset quis negare, quod adfit in majori gradu hujus morbi magna humorum putredo, qualis absque sale alcalico nullo obtineri posset modo. Quando autem consideramus, 1) quod morbi ab acrimonia alcalica dependentes sint acuti 2) iique fluidas tantum nostri corporis aggrediantur partes, morbi autem venerei sint tam morbi longissimi itaque chronici, quam solidas maxime afficientes partes, nemo ratione præditus ulterius præsentiam acidæ acrimoniæ negabit. Major quæstio nunc erit de causis mediatis remotioribus, non cogitanda exinde enim putant esse mala (§. 2.) recensita. Sed si hisce respondemus, quod maxima acrimonia acida viscido immersa & graviora provenientia symptomata e. g. ulcera graviora partium solidarum ortum ducant a mercurialibus medelæ gratia huic morbo oppositis, facillime reliqua ex congressu nimio & contagio explicari possunt. Nam quod atinet congressum nimium, iste in locis calidioribus, ob siccitatem subjectorum magis erit dolorosus, itaque humidum quod jam deficit & acrimoniam exinde inducit, magis magisque dissipatur, spiritusque avolant, hincque viscidum

dum, quod jam naturaliter in hisce regionibus immer-  
 fas habet partes, acres, remanendo augetur & talem  
 morbum sistit. Idem quoque in regionibus frigidis  
 de hypochondriacis & scorbuticis erit statuendum.  
 Quod autem nunc attinet contagium & quidem per  
 coitum cum persona infecta, monendum prius esse pu-  
 to, non omnes ex hoc congressu, si raro, immo semel  
 tantum instituitur, reportare talem morbum, sed hu-  
 moribus acris & viscidis jam præditi esse debent,  
 tunc per congressum acrimonia acida partibus teneri-  
 rimis & facillime corrohendis adhæret istasque pene-  
 trando destruit, quæ tunc ob humorum visciditatem  
 & acrimoniam, uti semper fit, non tam facile consoli-  
 dantur, sed majori corruptioni humorum ansam præ-  
 bent. Idemque sentiendum de contagio per commu-  
 nicationem purulentæ (n. 2. lit. b) materiæ venereæ.  
 Acrimonia hac acida viscido inclusa semel ex hisce cau-  
 sis in corpore præfente, variæ oriuntur stases, prima-  
 rio in visceribus massam sanguineam depurantibus,  
 unde obstructio eorum oritur, vel si jam dum erant ob-  
 structa, non leve capit inde incrementum, officium  
 suum itaque in depuranda M. S. non præstant, hinc  
 vitale istud fluidum insigniter deturpatur, ut modo  
 hanc, modo illam, modo unam modo plures partes mo-  
 do levius modo gravius destruat, prout stasis hujus vi-  
 scidi hanc vel illam partem tangit, & acrimoniæ cor-  
 rosivæ gradus variat. Primario ob ineptitudinem M.  
 S. ad nutritionem vegetus perit color, variæque sese  
 ostendunt maculæ, deinde præ omnibus partem pec-  
 cantem, genitalia nempe, aggreditur, facillime enim  
 hisce

hiſce in partibus, partim ob eorum ſtructuram, partim ob friſtionem ſtaſis oritur, ubi acrimonia minori gradu præſens gonorrhœam levem, major autem acrimonia graviorem ſiſtit gonorrhœam & ſymptomata §. 2. n. 3. & 4. recenſita. Staſin hanc facillime admittunt teſticuli & glandulæ, ubi acrimonia corrodens tumores inſignes efficit, hinc teſticuli & bubones venerei. Blattulæ venereæ oriuntur ex deſtructione & putredine fluidorum noſtrorum. Tanta autem quantitate viſcidi & acidi præſente, ut tota maſſa ſanguinea iſtis partibus ſit referta, oriuntur in diverſis partibus ulcera (§. 2. n. 8.) Acidum autem tanta cõpia præſens partes terreas M. S. nimis reſolvendo, ſerum hoc acre aptum quidem ad tranſitum per poros cutis reddit, ſed & in tranſitu ob nimiam corroſionem cuticulam a cute ſeparat, unde veſiculæ oriuntur majores, quæ variola magna vocantur. Ozoenam quod attinet, iſtam efficit ſtaſis & acrimonia inſigniter partes molles & duras in naribus corrodens. Si ſtaſis in perioſtio & corroſio levis oſſium contingunt, oriuntur gummata gallica, gravior autem corroſio oſſium exhibit cariem. Ex ſtaſi & corroſione in cute apparent verrucæ. Tortura nocturna oritur ex ſtaſi & inde ſequente extensione in partibus nerveis & tendinoſis. Nutritio autem tam ex gravi obſtructione viſcerum quam augmento viſcidi acris graviter læſa, ſiſtit ſymptoma, quod brevi tempore ſequitur mors, tabem nempe & haud raro phthiſin veneream.

## §. IV.

Medela hujus morbi in generalioribus quidem optime

optime traditur, quod nempe acrimonia hæc acida viscido immerfa sit alteranda & evacuanda, symptomata autem mitiganda & quantum possibile tollenda. In mediis autem feligendis ad hæcce indicata obtinenda tam ex ignorantia quam negligentia infelices fuerunt. Ad alterationem hujus materiæ morbificæ exhibendam utuntur diluentibus temperantibus & resolventibus; evacuationem autem intendunt fortioribus resolventibus & per os determinantibus. Remedia alterantia optime se habent. Diluunt enim temperant & resolvunt decoctum ita dictum lignorum ex ligno sancto Saffras, radice Saffaparillæ & Chinæ. Temperant & resolvunt Tinctura bezoardica Wedelii, alexipharmaca Stahlî, Ess. Succini, lignorum, Tinctura antimonii cum balsamo Peruviano vel Copaiivæ, Essentia salutis Teichmeyerî, vel alia essentia balsamica, pulveres bezoardici Wedelii, itemque ex Zinnabari, antimonio diaphoretico, succino præparato & Sulphure Lycopodii. Non sufficiebat autem & nimis tardum effectum exhibebat hæcce alteratio, vel enim non cessabant symptomata, vel ob evacuationem blanda hac resolutione non succedentem, novam iterum fabulam ludere incipiebant. Cogitabant itaque de fortiori resolvente, quod non reprobandum, sed quod 1) resolutionem per mercurium acido rodente junctum 2) per os evacuationem intendant, in maximum talium ægrotantium vergit detrimentum & cruciatum.

## §. V.

Hocce assertum nunc a nobis probandum ideoque mercurialium natura est indaganda. Mercurius

B 3

in

in usum vocatur vel interne vel externe, vel crudus vel præparatus. Mercurium crudum hic intelligimus vulgarem seu communem, qui est fluidum minerale opacum aqua circiter quaterdecis specificè gravius manus non madefaciens, in igne volatile colore & splendore argentum referens, quapropter etiam argentum vivum vocatur. Si cum aliis partibus connectitur vocatur præparatus, sic v. g. cum pinguibus partibus mixtus exhibet unguentum mercuriale & emplastrum; cum sulphureis nexus æthiops mineralis & Zinnabaris audit; si salibus acidis implicitus, modo mercurius sublimatus, modo præcipitatus, modo dulcis appellatur. Mercurii crudi usus internus apud nos in ileo tantum est receptus. In Anglia etiam ad alios morbos curandos ad aliquot uncias mercurium crudum assumi testatur D. SARTORIUS in Dissertatione quam Lipsiæ sub Præsidio Excell. D. HEBENSTREITII de usu *hydragyri interno* habuit. Externe mercurius crudus in vaporibus ad salivationem excitandam adhibetur. Præparatus cum pinguibus ad salivationem, discussionem & resolutionem tumorum, itemque ad necandas blattulas ceteraque animalcula adhibetur, itemque ad salivationem excitandam. Æthiops mineralis anthelminticum, & Zinnabaris nobis optimum exhibet remedium nervinum. Mercurius sublimatus qui concentrata possidet salia acida salis communis est venenum; præcipitatus, qui modo acidum vitrioli, modo nitri, modo salis communis possidet, adhibetur externe ut septicum. Dulcis autem, in quo salia acida salis communis



nis ad dimidium magis expansa sunt, quam in mercurio sublimato, in liquoribus calcis vivæ externe adhibetur, maximum autem creditur esse specificum antivenericum, si in pulveribus & pillulis ad salivationem excitandam interne propinatur, datur etiam ad alia mala rebellia, utpote scorbutum & malum hypochondriacum, coercenda, immo & in pulveribus vomitoriis atque purgantibus. Si in vim, & naturam horum mercurialium nunc inquirimus, multi quidem occultam quandam qualitatem mercurio inesse fingunt, & omnes effectus mercurii inde deducunt, inde quoque mercurium sublimationibus & destillationibus elicium & depuratum sumere monent. Cum autem in ileo ad libram semis & unam propinatus nil quam quod expondere majori & fluiditate sequitur efficere valeat, mercurio crudo quoque nulla alia efficacia tribui potest. Absorbendi vis ipsi quoque tribuitur sed fluiditate sua citius vias primas percurrit, ante quam lenissima nostrorum fluidorum vis tantam cohaesionem tollere & mercurium nostris fluidis miscere possit. Quicquid igitur præter pondus & fluiditatem præstat, istud tribuendum est tam partibus mercurio connexis, tam machinæ corporis vivæ. Qualem vim itaque partes connexæ in corpore nostro præstare valent, istam majori gradu tam ob concentrationem quam massam auctam nunc possident. Sic, si partibus subtilissimis sulphureis immersus, optimum existit nervinum & temperans. Si salia autem ipsi adherent, pro diversa eorum quantitate, modo est destruens venenum, modo fortissime resolvens medicamentum.

§. VI.



## §. VI.

Uterius omnia hæc elucescunt, si mercurialium modum operandi in corpore vivo propius consideramus. Optime illum Ill. HAMBERGERVS, primus adhæfionis legislator, in sua materia medica docet. Tertia enim lex adhæfionis mercurio crudo interne sumto penetrationem in nostra vasa & miscelam cum Massa sanguinea denegat, hinc leviori est obducendus, ut fibris nostri corpõris adhærere & in vasa penetrare possit. Hæc leviora sunt vel sulphurea vel salina vel sudor. Sulphurea tali vi adhærent ut in corpore nostro vel separari nequeant, vel disjungi possint. Salinæ partes connectuntur vel in corpore nostro vel extra corpus. Sulphurea tanto gradu connexa ut minime a mercurio in corpore nostro separari possint, reperimur in Zinnabari, ubi tam per artem quam naturam partes sulphureæ subtilissimæ in interstitia mercurii, in quæ salia ob magnitudinem penetrare non valent, penetrarunt, hinc etiam vim sulphureorum retinet Zinnabaris, salia nempe temperat & roborat, ob massam autem per mercurium auctam hæcce vis augetur. Sulphurea, quæ iterum in corpore, separantur, sunt sulphurea ea crassiora, quæ tantum particulas mercuriales obducunt, in interstitia autem abire nequeunt, hæc fortioribus, salinis nempe, adhærentibus cedere coguntur, hinc æthiops mineralis & unguenta atque emplastra mercurialia effectum eundem exhibent ac mercurius salibus nexus. Salia quæ in corpore connectuntur requirunt ut mercurius antea particulis levioribus obductus penetraverit in vasa

vasa corporis, hoc fit vel si mercurius vivus in vaporibus aut ori aut reliquo corpori admittatur, vel pinguis mixtus inungatur, vel in emplastro applicetur, tunc enim vel saliva vel sudor vel pingue fibris nostris adhæret, & cum mercurio adhærente in vasa nostra penetrat. In Massam sanguineam sic delatæ partes mercuriales inveniunt partes terreas, sulphureas, atque salinas. Partes terreæ ob gravitatem quidem fortius, quam reliquæ adhærere possent, sed ob magnitudinem non sufficienter mercurium contingunt. Sulphureæ quidem ob subtilitatem magis sese accommodant, sed adest gravius cui cedere coguntur, salinis nempe particulis. Hi itaque sulphureas mercurio leviter cohærentes separant, & quanta possunt quantitate mercurio adhærent. Quibus diversis modis salia extra corpus mercurio connectantur, cuilibet ex Chymia & pharmacia notum est. Hocce bene notandum quod salia connexa semper sint acida. A salibus acidis itaque mercurio tam in corpore quam extra corpus nexis dependet omnis actio, quam videmus in veneno & lue venerea. Sal enim partibus nostris adhærendo in eas penetrat atque resolutionem modo majorem modo minorem efficit, prout majus vel minus concentrata existunt. Mercurius autem ob Massam suam majorem tam actionem salium auget, quam concentrationem eorum efficit. A salibus hisce acidis, ob massam mercurii activioribus, destruuntur & stimulantur solida, fluida autem exinde resolvuntur, præcipue aggregantur partes terreæ in massa sanguinea hærentes & partes serosæ. Per serum abit in glandulas, ubi tam sti-

C

mulando

mulando quam ob massam majorem fortius resistendo eas ad tempus obstruit, dein derivando impetum cordis atque arteriarum versus parietes eas extendit, ubi interea fluida eo fortius resolvuntur, ut stasi expedita tanto major sequatur fluidorum evacuatio, qua sepiissime serum acre & viscidum una cum mercurialibus evacuatur, & sic morbus cessat. Quod ut plurimum salivationem excitent mercurialia, partim copiae glandularum in faucibus, partim resistentiae, quam minorem per gargarismata & facculos calidos reddunt, tribuendum.

§. VII.

Consideret nunc quis causas luis venereae, ejusque symptomatum (§. 3.) allatas, & videbit cum iisdem quoad omnia convenire mercurialia ad curandum talem morbum propinata. Intemperies enim laesa & gravis viscerum obstructio dependet a fero viscido acido repleto, ex quo obstructions & erosiones diversis in partibus oriuntur. Mercurius autem salibus acidis vel in corpore vel extra corpus nexus, ob massam majorem idem praestat ac viscidum, salia enim similiter & majori gradu implicita retinet, uti viscidum, hinc stases graviore inducere valet, & tam ob concentrationem quam impetum, quem salia per massam majorem obtinent, longe fortius partes solidas corrodit fluidasque destruit, quam acidum, per venerem nimiam vel contagium in corpus illatum. Noxas graviore hinc inde causatas observarunt jam multi, hinc non mirandum quod a veteribus pro veneno habitus PLINIVS *Hist. Nat. L. 33. c. 6.* Alii autem praeparationi illegitimae

mæ noxas has tribuerunt, hinc diversas excogitarunt præparaciones & mercurius multas eapropter expertus est ignis torturas.

§. VIII.

Instituatur nunc quoque accuratius symptomatum (§. 2.) examen, quæ ratione hæc oriantur, & apparebit, atrocissima luis venereæ symptomata ortum suum citius ducere posse a mercurialibus propinatis, quam a causis morbi ipsius. Ad mitiora symptomata referenda sunt ea, quæ in partibus fluidis & mollibus contingunt, ad graviora autem & atrocissima referenda sunt ea, quæ partes duras simul destruunt. Mitiora a morbo ipso induci possunt; graviora autem & atrocissima rarissime a morbo inducuntur, sed a mercurialibus oriuntur. Requirit enim acrimoniam tanto gradu auctam, ut corrosivi inde evadant humores nostri. Per morbum autem, sive per venerem nimiam, sive per contagium, sit ortus, successively colligitur & eum in gradum accumulatur, ut corrosivo talis oriri possit. Adsunt nunc in corpore nostro partes minus resistentes, utpote partes fluidæ & molles, & magis resistentes solidæ nempe. Partes minus resistentes minor acrimonia resolvere & destruere potest, magis resistentes autem tantum major acrimonia. Ergo cum in successiva collectione & accumulatione hujus acrimoniæ minor acrimonia prius quam major existat, etiam partes minus resistentes in resolutionem & destructionem abeunt, hinc oritur color faciei & cutis deturpatus, dein erosio levis partium molliorum hinc ulcera leviora utpote gonorrhæa levior item

que exulcerationes leviores in cute ore &c. (§. 2. n. 8.) aliaque recensita (§. 2. n. 3. 4. 5. 6. 7. 12. 13. 15.) symptomata. Ut plurimum autem fonticuli locum symptomata talia obtinent, ubi materia hæc morbifica successu temporis evacuatur & sanitas restituitur integra, nisi vel per ulteriorem congressum & contagium, vel per alia vitia diætæ acrimonia semper de novo augeatur, & tamen posito licet tali augmento acrimoniæ, talis gravior exulceratio, uti fit in ulceribus gravioribus n. 8. §. 2. item ozœna, gummatibus gallicis & carie fieri non potest, adsunt enim adhuc partes minus resistentes, quæ ab acrimonia in sero hærente & accumulata citius detruui possunt, talia sunt vasa serofa cutem cum cuticula connectentia, his destructis cuticula a sero extravasato elevatur & exhibentur vesiculæ modo majores modo minores, quod symptomata variola magna vocatur, & pro evacuatione critica hujus materiæ morbificæ haberi potest, & revera ægroti adhibitis bezoardicis balsamicis & abstergentibus in integrum tunc restitui possunt. Cum itaque tanta acrimonia successive colligi haud possit, sed simultanea accumulatio requiratur, quæ tamen ex morbo ob rationes adductas fieri non potest, ea ab extra corpori communicari debet, vitia talia diætæ raro committuntur, ubi tanta simul communicetur corrosivitas, hinc ex nulla alia causa oriri potest, quam ex mercurialibus propinatis. Hæc simul atque semel in corpus ingeri possunt, & quod corrosiva satis existant, monstrat mercurius sublimatus, quia ad grana tria venenum exhibet. Mercurius quidem dulcis non tantam quantitatem salium acidorum continet,

tinet, sufficient tamen ad partes solidas aggrediendas. Cætera mercurialia in corpore assumunt partes acidas, est enim corpus nostrum optimum laboratorum ad mercurium dulcem elaborandum, nonnunquam autem major quantitas salium acidorum in corpore uniri potest mercurio, ut eadem vi agat ac mercurius sublimatus. Adest igitur tunc in corpore propinatis talibus mercurialibus 1) major Massa & viscidum hinc graviores oriuntur stases 2) major acrimonia ex concentratione & majori massa, hinc major oritur corrosio, & quia mercurialia tanquam corpora graviora cum partibus solidis duris fortius cohærent quam fluidis & mollibus, etiam maximum ibi & præcipuum exhibent effectum & noxam, & atrociora dicta symptomata. Obicient certo mercurium etiam simul in salivatione iterum evacuari, hinc tales noxios effectus nullo modo oriri posse, sed cogitent hi 1) quod talis plenaria evacuatio facillime ob errores commissos im pediri possit, 2) quod stasis & resolutio hæc, quæ evacuationem hanc præcedere debet, multo facilius in partibus duris, ob eorum vasorum subtilitatem & gravitatem majorem contingere possit, & multo frequentius contingat. Præcipue hoc quoque fit, quia hæc evacuatio in ore per salivationem intenditur, ibi enim & in naribus atque faucibus plurima adsunt nobiliora solida, in quibus ob stasim & concentrationem facillima contingit corrosio & destructio. Mirandum sane quod medici ausi fuerint, in capite, utpote partium nobilissimarum sede, tantarum fordium evacuationem suscipere, & cloacam ab inferioribus ad superiora trahere. Verce-

nus meliorem adhuc viam elegit, determinat nempe purgantibus rite interpositis hanc evacuationem ad glandulas intestinorum & per alvum evacuat. Hoc quoque notandum, quod quo vegetius & sanius est subjectum eo majorem noxam mercurius dulcis inducit, humores enim balsamici fortiter acrimoniæ mercurii resistunt, & medico ansam præbent, ut reiteratis iterum vicibus istum exhibeat, tali modo multi gladii a vaginolis recipiuntur, qui levissima data occasione maximam inducunt noxam. Præ omnibus autem vitandi sunt pulveres mercuriales, hi enim statim partes solidas faucium aggrediuntur.

§. IX.

Superest nunc quoque per experientiam probare quod mercurialia exhibita atrociora effecerint symptomata. Hoc observavimus 1) in testiculo venereo, ubi emplastro de ranis vigon. cum mercur. imponebatur, & testiculus durus exinde & dolorosus evadebat, vasaque deferentia tantam duritiem reportabant, ut digitis percipi possent, hocce emplastro autem remoto cessabant iterum hæc omnia 2) in scabie propinabantur pillulæ mercuriales, quæ statim tumorem insignem, inflammationem & gravissimam exulcerationem in pedibus efficiebant, quæ omnia quidem aliis medicamentis exhibitis cedebant, sed sale mirabili ex capite mortuo mercurii, modo Kunckelii præparati, sublimatei exhibito, omnia hæc iterum recurrebant, 3) duabus virginibus vomitorium mercuriale excitavit cancrum occultum in mammis, & uni ex istis fluorem album mutavit in malignum. 4) Persona quædam in arthritide



tide mercurialibus per longum tempus tractata, dolores insignes ozœnam & gummata gallica reportavit.  
5) Puer cui in scabie cingulum mercuriale applicatum anasarca & ascite vitam amisit.

## §. X.

Nunc quis objicere possit, tales infelices eventus in quibusdam personis non possi tolli usum talis medicamenti, quo tam multi a lue venerea liberantur. His autem primo respondeo quærendo, annon breviori & gratiosiori via id fieri potuerit? dein testor, quod aliis securioribus remediis curata fuerit, gonorrhœa virulenta, testiculus venereus, bubones, variola magna & tortura nocturna, quæ remedia eo magis consideranda, quia nonnunquam talia mala e. g. testiculus tumidus & bubones absque lue venerea hominibus accidunt. III. TEICHMEYERVS in *Instit. medic. parbol. & practic. p. 426.* in bubonibus venereis quoque usum mercurialium prohibet.

## §. XI.

Ad curam meliorem obtinendam commendanda sunt  
1) Tinctura antimonii secundum modum Excell. Dn. Præsidis præparata, nam hæc sola ad viscidum tale sine noxa resolvendum sufficit, & eadem præparatio alias neglecta medicos refugere coegit ad mercurialia adeo noxia. 2) Tinctura bezoardica Wedelii, præcipue cum caurelis, in *Dissertatione de variolis adultorum* nuper hic sub Excell. Dn. Præsidente habita, commendatis parata. 3) Camphora, 4) arcanum tartari legitime paratum. Ad resolutionem hujus viscidi & temperaturam hujus acrimonie inservit mixtura ex TRA antin. E.ß succ. lign. aa. ʒij. bals. Peruv. vel opobals. gr. viij. ad gutt. xx vel xl. mane hor. 7 & hor. III. pom. sumenda. Ad putredinem autem ex destructis partibus nostris ortam arcendam

dam hor. IX. vesp. propinatur TR. bez. Wed. & Ess. Scord  
 aa. ad gutt. xx. vel xl. Absorbent quoque & resolvunt pul-  
 veres ex succin. alb. ppt. lap.  $\mathfrak{ss}$ ,  $\mathfrak{z}$  diaph.  $\mathfrak{z}$  lycopod. a  $\mathfrak{z}$ ij.  
 Camphor.  $\mathfrak{z}$ ij. ad  $\mathfrak{z}$ ij. hor. mat. IX. & vesp. V. sumendi: Eva-  
 cuationem promovent pulveres ex Rhab.  $\mathfrak{z}$ ij.  $\mathfrak{z}$  diaph.  $\mathfrak{z}$ ij. re-  
 sin. Gialapp. gr. vij. singulis hebdomatibus propinati, profunt  
 ad hunc finem quoque pillulæ balsam. Stahlî ad  $\mathfrak{z}$ ij. cum re-  
 sin. Gialapp. gr. vij. Loco potus decocta vel lignorum vel  
 alia in usum vocanda, diluunt enim tam acrimoniam quam  
 viscidum per præcedentia medicamenta resolutum, & eva-  
 cuationem promovent, hisce per aliquot menses debita cum  
 diætâ continuatis ad obstructionem viscerum quoque expedi-  
 endam reflectendum est, quapropter vesperi loco TR. bez.  
 & scord. propinari possunt guttæ lx. Mxr. ex arcan.  $\mathfrak{z}$  TR.  
 $\mathfrak{z}$  cid. anim. Rhab. aa.  $\mathfrak{z}$ ij.  $\ominus$   $\star$  anis. g. x. Sic successu  
 temporis omnia cessabunt symptomata, & morbus ex fonte  
 existet curatus, quædam quidem symptomata specialius au-  
 xilium expostulant, quæ autem practico cuilibet præsto erunt.  
 Sic e. g. in gonorrhæa virulenta injectiones profunt ex deco-  
 cto salviæ cum melle ros. & vitello ovorum, in scæminis juvat  
 $\mathfrak{z}$  lycopod. quod & optimum est in erosionem penis itemque  
 in variola magna. Linteolum caldum camphora frigidum  
 prodest in inflammatione prostaticæ, testiculo & bubone  
 Qeo, & tortura nocturna uti & alii sacculi paregorici. Blat-  
 rulæ necandæ decocto herbæ nicotianæ. Gummata Gallica  
 resolvit sapo chymicus Dippelii. Ulcera autem graviora &  
 profundiora, sicuti & caries auxilium suum ex Chirurgia ex-  
 pectant, ubi tamen omnia præcipitata mercurialia vitanda,  
 sed loco illorum radix gentianæ rubræ commendanda.

§. XII.

Ultimo adhuc monendum existimo necessarium, me,  
 quando de noxa graviore mercurialium egi, tantum ea in-  
 tellexisse mercurialia, quæ agunt & agere debent per salia  
 acida connexa, similiter enim tunc agunt ac ipsa materia  
 morbifica. Laudem suam & usum itaque retinent alia mer-  
 curialia, qualia sunt 1) mercurius crudus interne sumtus, 2)  
 æthiops

æthiops mineralis, hic quidem destruit vermes, sed hoc fit ob insignem acrimoniam quam vermes possident. 3) Zinnabaris, 4) mercurius longo & continuo calore in pulverem rubicundum fixatus, hic enim ex igneis partibus sulphur subtilissimum assumit, & hoc est argentum vivumustum ac in cineres redactum, quod PAVLVS ÆGINETA l. 5. c. 64. p. 156. in colica & malo iliaco commendat. 5) Etiam admittendus est mercurius salibus junctus, nempe alcalicis hæc enim salibus morbum efficientibus, contrariantur. Cuiusque itaque cura §. XI. apparet nimis longa, iste discat mercurium in salibus alcalicis solvere & cum istis intimius combinare, & obtinebit optimum mercuriale specia-cum antivenerium.

S. D. G.

So zeige dann den Ritter und den Held,  
Um das gelehrte Feld  
Nicht zu verlihren,  
Wohl aber durch die That den Nahmen auszuzeieren,  
Nun prophezeht zwar Deine Stärcke schon  
Dir der Hygäen Sieges-Cron,  
Doch hast Du in zukünftigen Zeiten  
Noch viel zu kämpffen und zu streiten,  
Denn es verschwören sich  
Mors und Morbona wider Dich,  
An beyden kanst Du Dich zum Ritter schlagen,  
Ihr blasses Heer mit Ruhme in die Flucht zu jagen,  
Die ihnen Deine Stärcke droht,  
Das kalte Fieber hebt und zittert,  
Weil es an Dir den Wehrmann wittert,

D

Die

Die Rose selbst erröthet schon vor Schaam,  
Die Gicht wird auch vor Schrecken lahm,  
Ja selbst der Todt  
Entsetzt sich und verblasset,  
Indem Du wider ihn die Waffen angefasst.  
Drum wünschet Dir ein Freund,  
Der es von Grund der Seelen meynt,  
Zu solchen Deinen Siegen Glück,  
Und daß des Himmels Hand  
Dir bald zum Liebes-Unterpfund  
Ein wohlgestalttes Kind in Deine Arme drücke.

Mit diesem wenigen wolle sich dem Herrn Do-  
ctoranden zu beständiger Wohlgezugewo-  
genheit und Freundschaft bestens empfeh-  
len

Ein aufrichtiger Freund,

ders Redlich meynt.

Ritter wurden zwar belohnt  
Nach Verdienst und tapfern Tingen;  
Doch bey wem die Weißheit wohnt,  
Dem muß sie gar Kronen bringen!  
Dorten warteten zwar Kronen  
Auch den edlen Rittern auf;  
Weißheit aber zu belohnen,  
Stunden auch noch Preise drauf.  
Werther Freund! durch steten Fleiß  
Hast Du Kunst und Weißheit innen,  
Was vor einem hohen Preis  
Wirst Du dadurch nicht gewinnen?  
Pallas trägt im Doktor-Huthe  
Dir schon eine Krone für,  
Schenkt

Schenkt sie Dir zum Ritter, Gute,  
Dazu gratulir ich Dir.  
Freund! sie hat noch mehr für Dich  
Ritter halt Dich ritterlich.

Es wolte dem neuen Herrn Doktor zu der erlangten  
Würde von Herzen Glück wünschen

**Chr. August Rothe,**  
Ministerii Candidatus.

**I**n te vibrabunt atroces mille sagittæ  
Quæ tua prosternent exposita dogmata typis  
Quid facis? ut vincas, pugna cum nomine vestro  
Tantum, crede mihi de te omnes certo repelles  
Clarior ecce poli sententia luce manebit.

*Hiscæ paucis*

*Nobilissimo atque Doctissimo Domino Doctora-  
rando gratulabundus accinere voluit*

**J. N. DIESMANN, M. C.**

**I**nsignis Doctor Glorioso nomine natus,  
Sic studiis medicis multopere noscere præstas  
Morbi sævitiem, & longi tormenta doloris;  
Cinguntur posthac per gratâ tempora Lauro  
Qua Te LVDOLFFI Manus Coronare curavit;  
Ergo Labores, turpes non defendere Curas

*Mercurii dulcis institutas.*

*Hiscæ paucis Versiculis Nobil. atque Doctiss.  
Domino Doctorendo ex intimis cordis  
penetralibus de capeendis honoribus  
aggratulari servus usque ad urnam  
obedientissimus voluit & debuit*

**P. C. GRASSO, M. C.**  
Plaudo

**P**laudo, novum Musas ægris genuisse parentem,  
Quo sperata salus auxiliumque datur.  
Quando aderunt præstans Podalyrius atque Melampus,  
Phillyrides Chiron, Pœoniusque senex.  
Multaque præterea Comitata Machaone turba;  
Quique aliquod medicâ nomen ab arte gerunt.  
Quilibet & quando tentabit inaniter artes,  
Morbus ubi vincit sævior artis opem;  
Quando per infectas serpunt contagia venas,  
Imaque subsidit lapsus in ossa dolor.  
Ni juvat hic Chiron operosæ viribus herbæ,  
Aut habet hic ullum succus odorve locum.  
Hic tamen insignis, doctus, quoque nobilis arte  
Curabit morbos, si juvet ipse Deus.

*Hæc pauca adponere voluit ex affectu  
gratulabundo*

**FRANCISCVS FLORIAN, M. C.**  
Opponens.



00 A 6281

ULB Halle  
002 828 12X


3



so

Rechn ✓







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



AVGVRALIS MEDICA  
 STENS  
 TRATIONEM  
 PROCISSIMA  
 NEREA E  
 OMATA  
 EFFECTVS MORBI,  
 MERCVRIALIBVS  
 ITVTAE,  
 VAM  
 T AVCTORITATE  
 VLTATIS MEDICÆ  
 ERANTIOVA HIERANA  
 ESIDE  
 ON. LVDOLFO,  
 S. ORDIN. ET PROFESS. CHTM. PVBL.  
 T. ERFORD. PHTSICO,  
 ORE ET PROMOTORE SVO  
 EVENERANDO,  
 V DOCTORIS  
 SALVTARI HONORIBVS  
 VNITATIBVS  
 APESSENDIS  
 VM EXAMINI SVBMITTIT  
 T RESPONDENS  
 ANDREAS RITTER,  
 ERFORDIENSIS,  
 OLLEGII MAJORIS HOR. CONSV.  
 EBR. M DCC XLVII.  
 hriftofh. Heringii, Acad. Typogr.